

**Landesbibliothek Oldenburg**

**Digitalisierung von Drucken**

**Anthropologia Anatomico-Physica**

**Baumer, Johann Wilhelm**

**Francofurti, 1784**

**VD18 11680695**

Cap. LIII. De visu.

**urn:nbn:de:gbv:45:1-16622**

neis productas, ac nervorum ope ad sensorium commune delatas, percipit. Eius scilicet ope corporum figuras, gravitatem, levitatem, asperitatem, lævitatem, densitatem, raritatem, humiditatem, siccitatem, calorem, frigiditatem &c. distinguimus.

## §. II.

Sensus hic maxime universalis est, nec ad locum quemdam corporis particularem restringitur; sed in tota eius peripheria, maxime tamen in illis locis, ubi copiosa papillarum nervearum congeries corporum externorum actionibus v. c. in digitorum apicibus exposita est. Quin & reliquæ sensationes nil, nisi tactus in determinatis corporis quibusdam organis exercendi species, sunt.

## CAP. LIII.

## De visu.

## §. I.

**S**upercilia sunt arcus eminentes super orbitas positi, ex pinguedine, cute crassa ac epidermide facti, pilisque brevibus, tempora versus inclinatis, oblitati. *Palpebræ* superiores inferioresque, ut quoddam oculorum vallum, extrinsecus epidermide cuteque tenera, intrinsecus tunica vasculoso-nervea, valde sensibili, cartilaginem tenuem, *tarsum*, investientibus factæ sunt, ac concursu suo *cantbum oculi* maiorem, vel

*Oculorum  
partes ex-  
terna.*



*internum*, atque minorem, vel *externum*, efficiunt. Palpebrarum oris *cilia* seu pili breves ac rigidi præfixi sunt. Foraminula duo in interno palpebræ utriusque limbo obvia *puncta lacrymalia* dicuntur, quorum ductus, superior angustior, inferior capacior, *cornua limacum*, cum *sacco lacrymali*, canali lacrymali incluso, atque sub osse spongioso minori in nares hiantes, coniunguntur, ac lacrymas ex oculo absorptas illuc deferunt. Vid. l'Histoire de l'Acad. Royale des Sciences 1766. p. 77. sur le sac nasal ou lacrymal de l'homme & de quelques animaux. Memoires p. 205. *Caruncula lacrymalis* in homine est tuberculum oblongum in interno oculi cantho, ex duplicata contractaque interiore palpebrarum membrana factum. Hanc inter atque oculum rubea quædam semilunaris membrana, æque ex duplicata dicta membrana constans, posita est. In palpebris glandulas sebaceas vel *ductus Meybomianos*, vid. J. G. Zinnii descript. oculi hum tab. VII. fig. VIII. atque in cantho oculi externo, sub interna palpebræ superioris tunica, glandulam lacrymalem latere, supra dictum est. *Musculus palpebrarum constrictor*, vel *orbicularis*, ex apophysi malæ superiore oriens, ex duobus fibrarum carnearum stratis, externo atque interno constat. Stratam externam integrum circulum describit. Internum ex duobus semicirculis, in cantho oculi externo inter se implicitis, formatum est, huiusque fibræ utrique palpebræ, ad cilia usque in-



cumbunt. *Elevator palpebræ superioris proprius*, admodum parvus, in superioris orbitæ fundo oriens, palpebræ superioris margini, prope eius tarsum inferitur, atque illius aponeurosis super hunc extenditur; vid. *W. Comperi* anat. C. H. tab. XI. fig. 4. *J. G. Zinnii* descript. ocul. hum. tab. V. fig. 1. lit. e. *Depressor palpebræ inferioris*, ex tenui fibrarum carnearum serie constans, atque in subiectis torosis maxime observabilis, ab osse iugali ortum sumens, in oram orbicularis inferiorem oblique inferitur. Vid. *J. B. Morgagni* advers. anat. I. tab. III. fig. I. *J. G. Zinnii* descriptio oculi humani, tab. VII. fig. X.

§.

II.

Sex musculis, ex orbitæ fundo venientibus, atque tunicæ scleroticæ insertis, nimirum III. rectis, attollente vel superbo, deprimente vel humili, adducente vel bibitorio, & abducente vel indignatorio, ac duobus obliquis, seu rotatoribus, maiori vel trochleari, & minori vel inferiore, oculus movetur: A rectis scilicet attollitur, deprimitur, ad nasum adducitur atque ab illo abducitur. Alterutro obliquorum agente oculus rotatur, utrisque vero simul agentibus, ex orbita quodammodo protuberat. Oculorum musculi ad anulum tendineo-carneum, nervum opticum, sub eius ingressu in orbitam, investientem, constituentium faciunt. Minor annulus, nervum oculi motorem circumdans ab indignatorio ac humili factus est. Vid. *B. Eustachii* tab. anat.

Musculi  
oculorum.



XXXVIII. fig. II - V. *W. Comperi* anat. C. H. tab. XI. tab. IX. X. & append. tab. VIII. fig. XLIII. *J. G. Zimmii* descriptio oculi hum. tab. III. fig. I. & II.

## §. III.

*Nervi &  
vasa.*

Ad externas oculorum partes, eorumque musculos, multi nervuli a paribus III-VI. abeunt. Paris tertii quinque rami palpebræ superioris levatori & oculi musculis una cum trochleari abducente distribuuntur. Ophthalmicus Willisii palpebris & glandulæ lacrymali prospicit. Vid. *J. G. Zimm* l. c. tab. VI. fig. I. Arteriolæ a carotidibus & speciatim ophthalmica externa a temporali, aliæ a frontali & nasali veniunt. Vid. *Alb. de Haller* icon. anat. fasc. VII. tab. 6. fig. I. Venulæ partim ad durie meningis sinus, partim ad iugularem externam abeunt.

## §. IIII.

*De muscu-  
lis ocul.  
speciatim.*

Musculus oculi *rectus interior*, bibitorius vel adductor, rectorum brevissimus & crassissimus, recto fitu solus proprie gaudet; cum reliqui, primo recte incedentes, circa oculi bulbum postea se flectant. Tendine tenui, ut reliqui recti & obliquus maior, a foraminis optici perioftio oritur, atque, cum deprimente cohærens, ad internum obliqui superioris latus, in interno bulbi latere, carneus antrorsum pergit, ac scleroticæ, haud procul a cornea, inseritur. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXXVIII. fig. II. lit. D. fig. III. lit. c. fig. V. lit. F. *Rectus exterior*, abducens



vel indignatorius, rectorum longissimus est, ac vaginæ nervi optici ac depressori in principio adhærens, in externo bulbi latere carneus antrorsum pergit, atque cum sclerotica, prope corneam, committitur. Vid. *B. Eustachius* l. c. fig. III. lit. G. fig. V. lit. C. *Rectus superior*, attollens vel superbus, tenuissimus est, atque eodem loco oriens, inter obliquum superiorem abductoremque, in superiore bulbi superficie anteriora perens, scleroticæ immittitur. Vid. *B. Eustach.* l. c. fig. II. lit. H. fig. III. lit. F. *Rectus inferior*, deprimens, vel humilis, media magnitudine præditus, atque eodem loco ortus, inter adductorem atque abductorem, antrorsum fertur, ac scleroticæ adhæret. Vid. *B. Eustachius* l. c. fig. V. lit. E. De rectis oculi musculis generatim sciendum est, quod brevi ante bulbi medium tendinei fiant, ac versus corneam scleroticæ firmiter affigantur, atque ad eius compositionem symbolam suam conferant. *Obliquus superior*, maior, vel trochlearis, gracilis omniumque longissimus est, dictoque loco oriens, in levatoris palpebræ superioris vicinia, ad internum oculi canthum oblique pergit, gracilemque tendinem, vaginulæ inclusum, atque per trochleam missum, deorsum reflectit, atque in superiore mediaque bulbi superficie scleroticæ immittit, oculum vertit atque ad anteriora interioraque trahit. Vid. *J. B. Morgagni* advers. anat. VI. animadv. LXXVII. *B. Eustachii* tab. anat. cit. fig. II. lit. E. fig. III. lit. D.



*Obliquus inferior* vel minor, in anteriore ac interiore orbitæ parte, ab ossè malæ, prope canalem nasalem gracili tendine ortum sumens, atque in musculum, latiore cæterisque brevior, expansus, sub bulbo rectoque inferiore decurrit, atque ultra mediam eius partem, exteriora respicientem, scleroticæ inferitur. Bulbum quodammodo rotans, antrorsum, introrsum ac sursum movet. Vid. *B. Eustachii* tab. cit. fig. V. lit. D. *Dn. Winslow* dans les Memoires de l'Acad. Royale des Sciences 1721. p. 403. ut rectorum tendines ad anteriorem scleroticæ partem conficiendam cooperantur; sic obliquorum tendines, ad posteriorem eius partem perficiendam symbolam suam conferunt. Vid. *J. B. Morgagni* epist. anat. XVI. art. XXXVII. Musculus oculi brutorum septimus, vel suspensorius, a nervi optici ambitu originem sumens, posteriorem scleroticæ partem amplectitur, atque in brutis prona spectantibus nimiam oculi protuberantiam impedire, atque in oculum illapsa extergere videtur.

## §. V.

*Oculi bul-  
bus.*

Oculi bulbus, in orbita lateris, ac pinguedine circumdatus, ex tenuibus membranis, albuginea, adnata, sclerotica, cornea uvea ac retina, variis humoribus, aqueo, crySTALLINO, vitreo, vasis sanguiferis nervisque compositus est.



§. VI.

Tunica albuginea, a colore albo dicta, *Tunica oculi.* anteriorem oculi partem, circa corneam, cui membranam extimam largitur, investiens vasculis repletissima est, ac cum interna palpebrarum membrana adnata per coniunctivam oculumque cum orbita coniungit. Huic adnatam, muscutorum tendinibus debitam, nonnulli adiungunt; cum autem hi scleroticæ quidem firmiter adhæreant, sed membranam continuam non constituent; pro singulari oculorum tunica haberi nequit. *Sclerotica*, a *σκληρός*, durus, vocata; est membrana crassa opaca, ab altera duræ matris lamina muscutorumque tendinibus oriens, totumque oculum ad corneam usque investiens. In utraque eius superficie multa vascula sanguifera, aquæductus Nuckii improprie dicta, cernuntur, eademque multis nervulis ciliaribus, ad ligamentum ciliare abeuntibus, perforata est. Anterior atque pellucida eius pars, inter albugineam prominens, *cornea*, *κερατοειδής*, nominatur, atque ex pluribus lamellis composita est. Vid. l'Histoire de l'Academie R. des Sciences 1741. p. 93.

*Choroidea*, *χοροειδής*, corio quoad colorem similis, mox sub sclerotica posita, a pia matre ortum ducit, intus vasculis & nervulis ciliaribus repletissima, & nigrore obducta est, qui sic dictos ductus nigros humori vitreo atque crySTALLINO imprimit. Interius processus ciliares antror-

C c



fum mittit, atque antèrius cum uvea, a qua cinulo ciliari distinguitur, cohæret. *J. G. Zinn*. l. c. tab. II. fig. II. & progr. de ligamentis ciliaribus. *Goett.* 1752. Ipsum ligamentum ciliare ex iugis choroideæ paulatim elevatis, & denique liberis, constans, fibras vel processus breviores, media via desinentes, ac longiores emittit. Vid. *W. Comperi* anat. C. H. tab. XI. fig. XIII. *Alb. de Haller* icon. anat. fasc. VII. tab. VI. fig. VII. & VIII. *J. G. Zinnii* descript. anatomica oculi hum. tab. II. fig. III. eiusd. progr. de ligament. ciliar. *Goett.* 1753. Uvea inter cameram oculi anteriorem ac posteriorem, humorem aqueum continentes, septum constituit, cuius foramen *pupillam*, atque colores *iridem* nominant. Illa in hominibus rotunda, in brutis quibusdam ovalis, in felibus fissuræ instar formata est. Pupillaris fetus membrana a *Wachendorffio* primum descripta, rarissime iusto crassior est, uveæ firmiter adhæret, ibique restans claussam ab ortu papillam facit. Vid. *Commerc. liter. Norimb.* MDCCXL. hebdom. XVIII. *J. B. Morgagni* l. V. de sedib. & causis morb. per anat. detectis, epist. LXIII. art. XI. Retina, sub choroidea collocata, duplex, extus medullaris, intus membranosa, primum visus organon, nil, nisi nervi optici per totum oculi fundum expansio est, atque humorem vitreum lentisque marginem amplectitur. Vid. *Frid. Ruyschii* epist. anat. tab. XVI. *Dn. Petit* obs. de oculis hominum, quadrupedum, avium & piscium dans les Me-



moires de l'Acad. Royale des Sciences 1726.  
p. 96.

## §. VII.

Paris tertii ramus sextus oculi tunicis *De nervis  
& vasis  
oculi in-  
ternis.*  
ramusculos largitur, & cum quinti paris  
ramo ophthalmico sub musculo abductore  
ganglion ophthalmicum producit, cuius  
rami recti, scleroticam perforantes, nervis  
ciliaribus originem præbent. Vid. *J. G.  
Zimm.* l. c. tab. VI. fig. I. & II. Arteria oph-  
thalmica interna a carotide interna veniens,  
orbitamque, iuxta nervum opticum, in-  
grediens, ramulos ad musculos oculi, glan-  
dulam lacrymalem, & oculi membranas  
ablegat, atque hi arterias ciliares ac circu-  
lum arteriosum, choroideam inter atque  
uveam, formant. Arteria centralis ramu-  
los per tunicam retinam spargens, ab illius  
ramo musculari inferiore ortum sumit. Vid.  
*Alb. de Haller* icon. anat. fasc. VII. tab. VIII.  
fig. II. III. & VII. & tab. VI. fig. V. *J. G.  
Zimm.* l. c. tab. III. fig. I. venulæ uveæ cilia-  
res, & choroideæ, verticosæ scleroti-  
cam perforantes, radiculæ & radices venæ  
ophthalmicæ internæ sunt, quæ sanguinem  
suum in duræ matris sinus petrosos, prope  
fellam turcicam obvios, exonerat. Radi-  
culæ venosæ per tunicam retinam dispersæ  
in venam centalem colliguntur, quæ prope  
oculum ex nervi optici substantia emergens  
per rimam sphenoideam cranium intrat, &  
sanguinem suum ad dictos sinus defert; ra-  
rius venæ ophthalmicæ internæ radix est.



Vid. *Alb. de Haller* l. c. tab. VI. fig. V. *J. G. Zinn*. l. c. tab. III. fig. III. tab. IIII. fig. II.

## §. VIII.

*Oculi hu-  
mores.*

*Humor aqueus*, serum arteriosum, spirituosum atque pellucidum, utriusque oculi camerae inclusus est, ac vulnere amissus ex arterioli oculi serosis sponte iterum restituitur. *Humor vitreus*, *δαλοειδής*, a vitri similitudine dictus, neque liquidus, neque aridus, sed quasi concretus humor pellucidissimus est, posteriorem oculi partem replet, & *membrana subtilissima arachnoidea*, *ἀραχνοειδής*, vestitur, quæ, in duas laminas divisa, etiam lentem crystallinam amplectitur. Ex oculo exemptus, lacerataque arachnoidea, in serum tenue, pellucidum, diffluit. Vid. *Histoire de l'Acad. R. des Sciences* 1741. p. 82. *Lens crystallina*, *κρυσταλλοειδής*, a qua perfectior videndi facultas proficiscitur, ex multis lamellis pellucidis, vasculisque exornatis constructa, anterius plus, posterius minus convexa, in homine margine acuto prædita, mox pone pupillam humoris vitrei foveæ immissa, atque arachnoideæ interventu cum illo connexa est. Vid. *M. Petit* sur le crytallin, dans *Histoire de l'Acad. R. des Sciences* 1730. p. 44. *Memoires* p. 4. de la capsule du crytallin dans les *Memoires* 1730. p. 622. *Alb. de Haller* icon. anat. fasc. VII. tab. VI. fig. VIII.

## §. VIII.

*Visus.*

*Visus* est mutatio, luminis ope in oculis producta, quæ per nervos opticos ad



sensorium commune delata a mente percipitur. Oculi igitur objecta visibilia v. c. rerum magnitudines, figuras, colores, pelluciditatem, opacitatem, raritatem, densitatem, quietem, motum atque distantias &c. accipiunt & transmittunt, animo autem cernimus. Ob citissimum luminis motum, visus omnium sensuum celerrimus est, atque una cum auditu, reliquas sensationes claritate superat.

## §. X.

Radii luminis aut recti, aut reflexi, ex *Fiendi modus.* puncto lucido in corneam transparentem incidunt, atque, in eius superficie dispersi, conum acutissimum faciunt, cuius vertex in puncto radiante, basis vero in cornea est. Radii ad maiorem, quam XL graduum angulum incidentes reflectuntur, ac reliqui corneam penetrantes partim obliterantur, partim vero angulis, scilicet XXVIII. fere graduum illabentes, in humore aqueo ad axin paullulum flexi, in lentem incidunt, atque in illa, in primis posteriore eius superficie, convergentes, ac decussatim pergentes, in humore vitreo quodammodo iterum disperguntur, & denique, propter factas decussationes, imaginem inversam in retina depingunt. In myopibus, oculos prominentes habentibus, cornea magis convexa ac lens rotundior radios magis cogit; hinc non nisi propius admota clare cernunt. In presbyopibus, oculos conditos habentibus, cornea planior & lens minus convexa est, lucis radii minus coguntur; hinc lon-



ginq̄ua contueri possunt; unde intelligitur cur myopum visus vitro concavo, & presbyopum acies convexo iuuetur.

## CAP. LIIII.

## De auditu eiusque organo.

## §. I.

*Auris externa.*

**A**d aurem nunc transeundum est, cuius usum proximum a luminibus natura nobis dedit. Auris externa, ad figuram ovalem accedens, ex cartilagine, parvis musculis, atque integumentis communibus facta, ligamenti interventu cum osse petroso coniuncta, ac musculis tenuibus aliqualem motum præstantibus prædita est. In partem maiorem rigidam, vel *pinnam*, ac minorem, mollem & mobilem, *lobulum*, dividitur. Margo plicatus, totam pinnam ambiens, *helix*, ab *ἑλκεω* circumvolvo, dicitur; cuius lateri interno eminentia longa, *anthelix* opponitur. Eminentiam parvam, anteriori helicis extremitati subiectam, in senibus hirsutam, *tragum* nominant; cui sub anthelice *antitragus*, lobulum sustinens, e regione opponitur. *Scapha* fossa inter helicem & anthelicem, & *concha* fovea rotunda ante meatum auditorium externum est. A temporali atque occipitali carotidis externæ ramis, arterias auris externa accipit. Ad iugularem externam eius venæ abeunt. A portione paris octavi dura, ex